Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2299
Quelle:
Copyright:

tum (non Concilium) *R^mi R^di que in christo patres missi ab inuictissimo principe domino nostro Friderico Romanorum Rege* &c. *Haselbachii* manum esse censeo, primamque Adlocutionis hujus in chartam conjectionem, quamvis de hac missione nihil in *Scriptt.* aut *Conspect. Hist. Acad. Vien.* memoretur, neque in *Collect. Concill.* quae Rerum *Basileensium* filum nimis cito abrumpunt. Tacet etiam *Infantius* in gallica sua *Hist.* hujus Concilii. Interim missionis scopus fuit, movere *Basileenses* ad migrandum, seque novo Concilio uniendos, cui locus proponitur *Constantia*, aut *Augusta, vel alius locus insignis in riparia Danubij*. Proponendis spatia interjecta sunt in Codice ad adnotandum, ut videtur, quid responderint ad singula *Basileenses*. Itaque ibi, ubi proposita est *Constantia*, additum postea: *Hic contra locum, quia non est tutus accessus; item Episcopus semper huic Concilio contrarius, et nulli fecit tantum Eugenius, quia duas Ecclesias Kathedrales sibi concessit.* Et reipsa *Henricus* IV. Ep. *Constantiensis* etiam *Curiensem* Sedem in decennium administrandam acceperat. Ad aliud Proponendum, quod sic habet: *Item instabimus, ut idem dominus Eugenius se in propria persona illuc conferat* &c. additum: *Hic dixit, quod se prius a veniendo excusat, quia alpes transire non posset* &c. Unde conjicio Legatos de eadem re paullo ante a *Friderico* etiam ad *Eugenium* missos fuisse.

XXIX. *fol.* 418. *Collatio in exequijs M. Johannis Hymel 1450. in die Martini gutta tacti et defuncti.* Paralysin intelligere licet, quamvis et alii morbi *Guttae* nomine olim venerint. De *Joh. Himmel Styro*, ut videtur, ex *Weiz*, celebri Acad. *Vien.* Theologo, ter Rectoratus munere functo, *Alberti* Archid. ad Concilium *Basil.* et Concilii ad Academiam *Vien.* Legato, adque D. *Stephani* Canonico videri possunt *Scriptt. Universit.* P. I. p. 126. *Conspectus Hist. Univ.* ad annos 1432. et 1436. et *Locheri Speculum Acad.* ubi tamen a. 1444. obivisse putatur. Fallit vero pariter Titulus Parentationis nostrae; non enim *Himmelii* solius, sed etiam M. *Stephani de Eggenburga Austrii* Canonicatu et academicis honoribus non minus insignis funus prosequitur Orator. Verum ne diffusas laudes expectes. *Primum* ait, *eorum*, nempe Stephanum, *ab adolescentia mea foui sub doctrina. quem blando eloquio, corpore et moribus enituisse uirgineis, vt omnium in se prouocaret affectum, omnium etiam agnoui testimonio. Alterum denique acrem ingenio, acutum in agibilibus, peritum in negotijs semper deprehendi, qui etsi se plurimorum opinionibus difformauit, nunc autem sibi omnia sunt in meliorem partem interpretanda* &c. Cum manus sit *Haselbachii*, suspicor, ejus et *Himmelii* sententias *Basileae* quandoque discrepasse. Reliqua loci communes sunt de Morte, et initium: *In exequijs viri tam celebris memorie quid dicam*